



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen Siciliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NEA- NESIS, vel Nefsis: *Nisita*, aliter *Nisari*, quæ celebratur
 Asparagis suis: portum habet, & arcem quam exci-
 tavit Dux Amalphitanus; sita est in finit. Puteolano.
 POLI- CAPREÆ: *Capri*, octo millium ambitus cum ciuitate cog-
 nomine, cuius Episcopus Capritanus dicitur: eius
 T A- reditus ex Coturnicibus desumitur, quæ hic bis in
 anno incredibili copiâ capiuntur, seu dum fugiunt
 NI. hyemem, seu dum ver exquirunt. Hinc quoque olei
 plurimum & ferici euêhitur.
 GALLO, & SANPIETRO, olim *Sirensæ*, quinque milli-
 bus à Capreis, vno à continente milliarlo distat, scopuli
 verius quam Insulæ.

CAPVT VIII.

De Sicilia, & Insulis ei adiacentibus.

§. I. Historica recentis Siciliae.

NVM. I. Nomen Siciliae.

NOMEN antiquum nihil immutatum est, immo Siciliae no-
 men in vniuersum Regnum Neapolitanum propagatum est,
 quod dictum Siciliae Regnum cis Pharum, cum Sicilia ipsa dicta
 sit Regnum Siciliae trans Pharum. Non inficior tamen has appella-
 tiones plerumque mutatas esse, & Siciliam Regnum Siciliae cis
 Pharum, Regnum Neapolitanum Regnum Siciliae trans Pharum
 nuncupatum esse, prout à scriptoribus Siculis, aut Neapolitanis,
 hæc vox usurpata est. PHARVS porrò turris est obiecta Messanæ,
 quæ excitata est, vbi quondam Carybdis erat vortex, nunc *Faro*
 à quâ & Promontorium vicinum nomen habet, olim *Pelorum*,
 nunc *Cabodi Faro*.

Partes eius Insulæ vallium nomina habent, & duo quidem
 difficultate carent NETO & MAZARA; dicuntur enim ab vrbi-
 bus, vt nemo nescit; tertia autem DEMONA, vel DEMINI no-
 minatur Latine *Nemorensis*, quare aliquando & dicitur *valli di*
Nemore; videlicet inquit Fazellus lib. decimo prioris Decadis cap.
 I. vox hæc *Demini* significat *Nemus*, & huic opinioni ipse subscri-

bit lubentiùs. Apud eundem quidam sic dictam volunt ob montes excelsos, quibus toti Siciliæ videretur *dominari*. Sed eos irridet qui confugiunt ad Dæmonas quorum sedes Æthæus Crater, Addit idem Fazellus hanc vocem *Demonia*, fortè Sarracenicam esse, cuius vim se fatetur ignorare.

N V M. 2. *Quantitas Siciliæ secundum recentiores.*

RECTE obseruat Cluuerius, in miliaribus recentibus Siciliæ nunc magnam diuersitatem esse, quam ipse dimensus totam hanc Insulam accuratè expertus est: & à Messana per Panormum & Lilybæum ad Agrigentum paulò minora esse ius, quæ ab Agrigento ad Pachynum & Messanam ducuntur; hæc autem Neapolitanis æqualia, illa Latinis & Tuscis; qua de re moneri debuisti.

Mensura Noua Siciliæ.

LATVS BOREALE, { Aretio, Ducenta sexaginta duo M. P.
à Capo di Farò, ad } Fazello, Ducenta octoginta & vnum M. P.
Capo di Coco. } Cluuerio, Duceta quinquagintaquinque M. P.

LATVS AVSTRALE, { Aretio, Ducenta quatuor M. P.
à Capo Coco, ad Capo } Fazello, Centum octoginta quatuor M. P.
Passaro. } Cluuerio, Centum nonaginta M. P.

LATVS ORIENTALE, { Aretio, Centum quinquaginta M. P.
à Capo Passaro, ad } Fazello, Centum sexaginta M. P.
Capo di Faro. } Cluuerio, Cētum quinquaginta quatuor M. P.

AMBITVS { Aretio, Quingenta sexdecim M. P.
TOTIVS } Fazello, Sexcenta viginti quatuor M. P.
INSVLÆ. } Cluuerio, Quingenta nonaginta nouem M. P. vel ut ait
ipse sexcenta.

N V M. 3. *Qualitas Siciliæ recentis.*

QVAM sit frumenti ferax in præsentia id maximè docet, quod in quibusdam locis grana singula proiecta in terram centum reddant. Fertilissima sunt valles *Neto*, & *Mazara*, amcenior & arboribus meliùs confita *Demonia*. Quæ sint eius pascua, & quàm læta,